Statuta in admiſsione Baccalaureorum in Artibus legenda, ad quorum obſervationem ſinguli tenentur, virtute juramenti.

PRimus annus Rhetoricam docebit, ſecundus & tertius Dialecticam, quartus adjungat Philoſophiam; & artium iſtarum domi foríſque pro ratione temporis quiſque ſit auditor. In hoc quadriennio bis quiſque diſputato in publicis ſcholis, bísque reſpondeto in ſuo grege: quæ ſi perfecerit, & poſt conſuetum examen dignus videatur, Baccalaureus eſto; ità tamen quòd priùs reſpondeat quæſtioni, & iſtet in Quadrageſima moré conſueto uſque ad poſtremum actum, & ſuper his cautionem realem exponat.

Singulos inſuper, qui hîc gradum aliquem ſubituri ſunt, aſtrictos & devinctos eſſe volumus, ut hujus Univerſitatis Statuta & probatas conſuetudines pro viribus obſervent, útque ejuſdem Univerſitatis pacem nullius rei prætextu perturbent, quin eos, qui ſic pacem perturbare noverint, ad Cancellarium ſeu ejus vices gerentem quamprimum deferant quod denique Univerſitatis noſtræ honorem pro virili augeant, orné̀ntque.

Quilibet Graduatus dum moram traxerit in noſtro municipio, habitum habeat de proprio, gradui ſuo competentem.

Poſtremò, Statutis Academiæ cautum eſt, nè quis hîc ad gradum aliquem admittatur, niſi ſe obedientem fore Cancellario aut ejus vices gerenti jnraverit, séque ſua privilegia renunciaturum, in quantum privilegiis & ſtatutis Univerſitatis contrariantur: Salvâ tamen ſemper compoſitione inter Univerſitatem & Collegium Regale factâ.

Quilibet ad reſpondendum quæſtioni admittendus; poſt ultimum actum & ante decimum quartum *Januarii*, juret, ſi contigerit gradum Magiſterii in hac vel in altera Academia Anglicana ambire, Terminorum computum facturum non à tempore Admiſſionis, ſed à finali Determinatione Admiſſionem ſuam ſubſequente.

Jurabis quòd hæc omnia obſervâſti & obſervabis, niſi aliter per gratiam ab Academia conceſſam diſpenſatum tecum fuerit, ſicut te Deus adjuvet, & ſancta Dei Evangelia.

Jurabis etiam quòd in conſcientia tua agnoſcis Regem eſſe, & juxta verbum Dei eſſe debere ſupremum Gubernatorem Eccleſiarum Magnæ Britanniæ & Hyberniæ, in omnibus cauſis tam Eccleſiaſticis quàm Civilibus: nec ullum alium Principem, Pontificem, aut Prælatum, ullam habere, vel habere debere autoritatem infra hæc regna Magnæ Britanniæ & Hyberniæ: Sicut te Deus adjuvet, & ſancta Dei Evangelia.